

me indignum admirari crederem, nisi simul animi uenerationem,  
mentisque obseruantiam, publice declararem. Ad quod iucundis-  
simum officium eo magis me obstrictum uideo, cum me, licet  
VOBIS adhuc ignotum, Vestro summo fauore, quo Musarum  
cultores amplectimini, Vestroque iuuandi studio, prosequi haud  
dedignati estis. Optime enim noui, non solum gratiam PATRIS  
PATRIAE CLEMENTISSIMI, Vestris sub auspiciis, illu-  
stre, quod Misinae floret, Afraneum frequentandi, mihi esse  
concessam, sed adhuc etiam me, in alma Leucorea degentem,  
Vestra ualidissima intercessione, de summa eius liberalitate, rerum  
mearum tenuitatem adiuuante, gloriari posse. Pro maximis  
hisce beneficiis, quorum memoriam ad ultimum uitae finem con-  
stantissima fide perducam, publico hoc documento nunc VOBIS  
gratae mentis tesseram offerre, gratiasque, quas possum, submis-  
sissimas agere cupio, spem alens certam atque iucundam, fore,  
ut hoc clementi atque serena fronte excipiatis, cum rei huius  
solam pietatis religionem, gratique animi affectum, causam fuisse  
profitear. Summum interea, idque benignissimum, Numen ar-  
dentissimis adibo precibus, ut VOBIS, cum Gentibus Illustribus,  
Familiisque Splendidissimis, prosperam, aequabilem, perpetuam-  
que fortunam, secundo uitae sine ulla offensione cursu, concedat,  
sapientissimisque consiliis Vestris exoptatissimos semper, felicissi-  
mosque, euentus respondere iubeat. Quod si uota mea a Deo  
impetrauerint, certissime confido, mihi semper Splendidissimos  
affore Patronos, quibus fortunam meam tuendam augendamque  
commendare queam. Dabam Vitembergae die III. Calend.

Septembr. A. R. S. M D C C L V.

I. IN